DE FEBRI NERVOSA QUAE ANNO 1831 IN OPPIDO ACELI DESAEVIIT...

Tomaso Trieste Pellegrini

DE

FEBRI NERVOSA

QUAE ANNO MDCCCXXXI

IN OPPIDO ACELI DESAEVIIT

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS HONORES

RITE IN MEDICINA ASSEQUENDOS

IN ARCHIGYMNASIO PATAVINO

PUBLICE HABUIT

THOMAS TRIESTE PELLEGRINI

ACELENSIS

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXXII.

Cum ex diligenti et accurata notatione factorum verum quod saepe latet, veluti ex umbris elici soleat, et ad communem hominum utilitatem pleniore in lumine collocari, sane acquissimum et maxime optandum esse videtur, ut unusquisque nostrum, qui civili convictu ac societate perfruimur, quoties occasio ferat, factorum rationem studiose persequi, et sincere ac fideliter illustratam, quantum in nobis est, aliis exhibere ac tradere debeamus. Quod cum omnino persuasum mihi jam sit et plane perspectum, mecum ipse propterea statui disserere hodierno die de epidemica febri nervosa, quae elapso jam anno Acelum patriam mihi dulcissimam afflixit atque oppressit, et quae autumnali praecipue tempestate mihi animadvertenda sese obtulerunt, ea carptim seligere, meique progressus ac sedulitatis quoddam quasi specimen exhibere. Vestrum sit, sapientissimi ac doctissimi viri, quidquid erratum a me fuerit, emendare, et ubi ingenium defuerit, saltem paratissimae voluntatis conatus aequi bonique facere.

In dorso collium amoenissimorum tarvisinae ragionis impositum eminet Aceli castellum, longeque respicit Euganeorum ac Vicetinorum excelsas arces, et ad septentrionem Julias quoque alpes interspectat. Solo autem gaudet satis fecundo, et opportuna aquarum perennitate irrigato. Nihilo tamen secius tum ex temperamento incolarum passim sanguineo, tum ex quotidianis per quamlibet anni tempestatem laboribus, tum etiam aliquando ex annonae aut defectu aut abusione non raro accidit, ut inflammatoria morborum indoles sese exerat et grassetur ad magnam perniciem. Ac cives quidem tantum abest, ut luxuriando vitam agant, quemadmodum in magnis saepe civitatibus contingit, ut etiam omnino circumspecte ac pacate vivant. Ex quibus omnibus saepe accidere solet, ut si quando aut usitata aeris temperies, aut victus qualitas forte vitietur ac turbetur, non minima passim incommoda inde existant. Ac propterea nemini mirum videri debet si per elapsum quoque jam annum nervosarum febrium malitia Acelum late universum affligi coepit atque adeo funestari. Nam praeterquamquod creberrima fuit aeris mutatio, exigui quoque fuere fructus agrorum, iique ex immiti et longa siccitate vix ad maturitatem perducti. Proinde tota hieme annonae ingens caritas, ingentes ad vitam alendam suscepti labores. Vino autem vix aliquando datum bilarari, et, ut hisce temporibus fieri solet, aliquando plus quam ad satietatem graecandi libido plurimos coepit. Cumque et ex

naturali acelanae regionis ariditate, et ex aestivae tempestatis indole alcool vi magna praeditum esset, ex vino ebrietas et furor saepissime consequebatur. Praeterea pluribus etiam usitatum inter stabulorum angustias longissimas noctes traducere, miserrimis stragulis incubare, noxiumi aeris frigus vix declinare aut extimescere, atque ita transpirationem repente inhibere ac supprimere. Artificum autem miserabilior luctuosiorque conditio fuit, qui cum fere ingenita otiandi voluptate flaccesserent, aut victus acquirendi difficultate maxima laborarent, quidquid sibi suppeteret, vesci cogebantur, et paene nudi ac trepidi jacere in squallore et sordibus. Teterrimam hiemem ver atque aestas pessima excepit: nam diuturnam anni praeteriti siccitatem immanis aquarum eluvies exceperat ac resarcire quodammodo videbatur. Nubibus dissipatis ardentioribus radiis sol furere, et qua caloris, qua frigoris alternis vicibus nimia vis dominari. Meridianum erat ventorum imperium, et ab occasu solis ad ortum usque ejus novum densissimis late nebulis regio universa obvolvebatur, unde incolarum corpora graviter conflictabantur. Hujusmodi erat veris conditio, ejus videlicet tempestatis, qua adveniente, tota passim recreatur natura, et quaeque animantium genera reviviscere atque affici solent incredibili voluptate; sed multa adhuc impedimento erant, quominus ex tam jucunda mutati caeli salubritate ac pulcritudine sperata in publicum commoda aliquando promana-

rent. Siquidem inopiae levandae atque adeo sedandi jejuni cupiditate impellente maxima pars hominum eam regionem incolentium nondum maturos agrorum fructus colligere properabat, primitiis omnis generis avide fruebatur, frugibusque crudioribus et parum accurate conditis mensam instruebat. Porro omnibus patet quantum incommodorum necessario inde perferendum esset. Quotusquisque enim est qui nesciat sub noxiam aeris temperationem fruges ac fructus depravari, neque consueta succorum salubritate imbutriri? Et quando poma sacchàro, fruges autem albumina et glutine parum abundant, non modo nihil ea juvare corporibus, verum etiam multum officere quis ignorat? Profecto frumenti seges carbonio maximae tabescebat, grani autem turci indoles ex vermiculo passim mala, neque ad optimam maturitatem idonea: legumina quoque et cetera genera herbarum vitiata erant, ex quo pecora quoque et animalia non optimo certe subsidio ac pastu alebantur.

Sed et moralium causarum habenda est ratio. Omnium sermone et fama jam percrebuerat sermo, et ad infimos etiam homines promanaverat de nova quadam, eaque teterrima contagione quae nullam orbis partem integram intactamque relinqueret. Cholerae morbi nimirum etiam inter nostros trepidus passim rumor et ingens inde metus ac consternatio. Haerere plures suspensis animis, ejusque adventum quotidie magis pertimescere atque horrere. Ac ne finis esset malorum

tantorum quibus mentes occupabantur, certe repente morbi atrocissimi injuria reapse corpora affligi ac prosterni coeperunt, miliari scilicet febri, eujus impetum atque furorem coercere prudentissimi quidem civium ac medicorum nostrorum vel maxime studuerunt. Sed cum misero quodam fato contigerit, ut ejusmodi morbo nonnulli etiam ex florentissimo prope civitatis ac juventutis delectu immaturam mortem obierint; sporadicis praeterea morbis extinguerentur quidam ex iis, qui maxime in civitate eminebant, omnium pectora ingenti passim aegritudine ac trepidatione compleri. In omnibus, innoxiis quoque ac sinceris, mortis periculum, morbique initia adesse videbantur. At vero infimi ordinis homines ipsi etiam tot tantisque naturalibus causis, ipsa incauti ignorantesque adjiciebant et plane proprias. Multi enim ex eorum praesertim numero, qui longius degunt ab urbe, medicorum oracula consulere negligebant, alii licet afflicta valetudine ab opere recederc nolebant, et sua negotia deserere, nonnulli etiam inter ignota genera herbarum superstitiosa quaedam pharmaca quaeritabant.

Atque bisce videlicet atque aliis concurrentibus causis variae atque diversae morborum passim rationes disseminari sunt visae, et invicem desaevire. Pro varia enim aut telluris aut incolarum indole quidam dysentericis morbis, quidam vero gastricis, aut rheumaticis febribus conflictabantur, plures etiam intermittentibus laborabant, praecipue tamen febri nervosa petechiali, cui in-

terdum adjiciebantur nonnullae febres qua perniciosae, qua gastritides, qua enteritides, angioites etiam aliquando, neque non affectiones catarrhales, et miliaria quae cum nervosa saepenumero complicabatur. At vero quid causae fuit, cur tanta morbi asperitas insolesceret ac grassaretur per amoenissimam praesertim saluberrimamque regionem, et eo loci ubi et aeris temperies mitissima dominatur, et soli apricitas ac fecunditas purissimarum aquarum irrigatione multiplici innutrita animos oculosque delectat, et jucundissima vitae securitate delinit? Equidem credo vel hoc ipso factum, ut morbus de quo diximus, sese exereret ac ferociret. Quid ni autem? Certe illud probe omnibus notum perspectumque est, eo graviorem ac moleatiorem alicui existere rei cujuscumqua defectum, quo quis eadem diutius et alacrius frui consueverat. Ex desiderio ipso, praecipue si nulla aut minima ejusdem explendi spes adsit, vitae quodammodo cursus perturbatur, sensim humores vitiantur, lentius sanguine venae irrigantur, saepe universa corporis valetudo flaccessit atque infringitur. Nequa alicujus tantummodo rei defectus, sed novae etiam alicujus accessio nonnunquam solitum vitae statum perturbat, et est magnorum incommodorum origo et fons. Nam sive ex accessione, sive ex defectu jam usitata aequilibratio tollitur, et consuetudinis rationi derogatur. Annon ipsi saepenumero audivimus, et experientia usuque didicimus per quam molestum et grave, atque adeo nonnunquam intolerandum

videri summas alpes incolentibus in plano ac paludibus degere, contra autem eos, qui valles et ima incoluerint, excelsa tenere et puriore caelo frui? Contraria ipsa sensim ac pedetentim in naturam aliquando abeunt, ubi vero natura invaluit, ac veluti obduruit, vix ullo pacto flecti potest, et novos quasi habitus pati. Ac plantae ipsae quidem si a nativo solo ad externam regionem transferantur adhuc tenellae et exiguae, etiam alio sub sole radices agunt et succrescunt; si vero jam adultae ac florescentes ad remota littora translatae proprios sibi succos, et assuetam aeris ac tempestatum indolem denegatam sibi sentiant, cito sterilescere solent, et vividiore viriditate spoliatae languere ac concidere. Itaque cum gravissimae ac multiplices sane causae subessent, atque hinc inde coalescerent, cum alicujus morbi malitiam nostri homines defugere neutiquam possent, a fraudibus et insidiis ad vim atque impetum tandem est transcursum. Et quoniam nervorum delicatissima ac nobilissima natura est; ita vis morbi nervosum systema adoriri coepit et male habere. Ac primo quidem, licet plures ex illis civibus, qui per totam hiemis verisque tempestatem alio transmigraverant, suas domos repetivissent, saevire in colonos atque artifices. Alii gastricis, alii rheumaticis febribus, iisque etiam simplicibus laborabant, et primo quoque tempore miti quodam et tolerabili aspectu, deinceps autem minitabundo impetu cum vomitu et diarrhoea, extremisque partibus frigescentibus, enectaque totius corporis vi-

ribus et afflictis, erroribus mens abduci, saepe alto sopore opprimi, saepe etiam delirare et furere; cutis praecipue pectoris et colli, tum etiam brachiorum exiguis quibusdam maculis et irregulariter rotundis, abeneo colore, conspergebatur, et supra pectus imumque ventrem lucidiores quaedam et minimae quasi granorum formae, quae cum sudoris guttulis facile possint comparari. Atque hisce quidem affectionibus cum undecumque complures indiscriminatim impeterentur, tamen saepius ac facilius in hujusmodi morbi malitiam incidere videbantur qui loca aegrotantium domibus proximiora incolerent, aut qui eodem sub tecto viverent, aut qui excelso et nobili pectore laborantibus subsidio esse non pertimescerent. Igitur terrore quaquaversus diffuso, praesertim cum audirentur inter juga proximarum alpium et ad tyrolenses terminos quaedam quasi propugnacula omnibus tutata praesidiis circumundique excitata ad teterrimi morbi progressus inhibendos, cautum a nostris et ratum, ut quae domus petechiali febre inficerentur, caedem custodibus sigillisque impositis vetarentur adiri; nihil vero hujusmodi imperatum quoad miliares, utpote quae contagii rationem habere minime putarentur. De quo ego nil disputo, illudque tantummodo quasi praetervolans mihi animadvertendum esse duco, quoties alicubi miliaria desaeviit, nunquam affirmari licuisse in eandem aliquem incidisse ex alicujus familiaritate aut convictu. Inter haec feliciter contigit, ut medicorum nostrorum laboribus curisque

adjuvandis praesto esset egregius artis nobilissimae cultor, recens in medicorum ordinem adscriptus, cujus quoque opere et praestantissimo auxilio multa optime constituta, multa alacriter fortunateque suscepta, qua ad removenda pericula, qua ad minuendum furorem. Sed tamen cum parum proficere viderentur, neque satis difficilis ad contaminatas domus aditus foret, tutius futurum prudentissimo cuique visum, si certum quoddam ad aegros excipiendos hospitium, quantum fieri posset citius, institueretur. Delertus locus et sedes aptissima procul ab urbis frequentia, eoque continuo aegrotus quisque transductus; unde et mihi curationis exitusque observandi oblata occasio fuit.

Atque hoc in loco omni fortasse cura studioque mihi inquirendum esset, num eorum opinio probabilis videri debeat, qui secum ipsi statuerunt ac tradiderunt, choleram videlicet asiaticum sub hoc caelo, et nostris hisce regionibus dissimili adspectu et moribus desaevisse, et petechialium febrium habitum naturamque induisse. Ne plus aequo fortasse longior exlstat oratio, dicam brevi quod sentio. Constat inter medicos qualemcumque ex innumeris sane morbis, quibus tantopere affligi solet humanum genus, sive per contagionem, sive per epidemicas diffusiones ex una regione ad dissitam aliam transferatur, paulatim mitescere et infringi, et quo longius ab natali solo recedit, ac ab una in aliam personam traducitur, eo dissimiliores qualitates sibi sumere, et quasdam veluti in-

ducias pacisci. Videlicet nostrorum haec ipsa corporum membrorumque structura peculiaribus ejusdem morbi principus atque elementis quodammodo sese accommodat, principiaque ipsa inter se invicem, uti dicunt, assimilantur: hinc dissimiles habentur effectus atque exitus, donec ad extremum variis hinc inde communicationibus ultra citroque habitis, antiqua morbo pernicies eripitur, morbusque omnis aliquando etiam eradicatur ac dissipatur. Quid quod saepius commigrando morbus ipse diversas caeli ventorumque proprietates modo sibi adjicere debet, modo minuere, aut etiam penitus admittere? Profecto morborum quorumdam vix nomina habemus, quorumdam autem talis ac tanta, juxta nonnullos, mutatio obtinuit, ut vix appareat cujus antea naturae fuerint. Ac propterea nihil absonum fortasse aut incongruum videri posset affirmare aut arbitrari asiaticum illum morbum, de quo innuimus, apud nos pulcherrimi hujusce caeli adspectu, atque hujus regionis amoenitate ac fecunditate mitigatum plurimum amisisse pristinae acerbitatis, ac veluti moribus habituque immutatis nostras quoque sedes ac domicilia invisisse. Unde nobis vehementer laetandum esset et gratulandum de tanta felicitate ac fortuna, quod scilicet tanta morbi saevities atque immanitas in nostrorum collium conspectu prope conciderit, et lethiferis telis depositis aut hebetatis deserit aliquando vitas quoque nobilissimas metere, luctuque et caedibus universam late Europam incestare.

Sed ut, unde discessimus, redeamus, silentio haudquaquam praetereo ex universo numero aegrotantium illorum, qui hospitium ingressi primum sunt, quosdam fuisse qui vix convalescere jam coepissent, quosdam vero qui summam morbi perniciem jam attigissent, alios demum qui primo veluti in limine versarentur. Eorum ab exordio numerus constabat maribus tresdecim, et feminis novem, quorum bis seni graviter laborabant. Eodem deinceps decem deducti, quandoquidem summatim sumptus aegrotorum numerus ad duos supra triginta pervenerit per totum duorum mensium intervallum, quo videlicet sedem hic egit fera morbi vis.

Equidem haud mihi nunc speciatim ac distincte omnia passim phaenomena consideranda ac persequenda suscipiam, quae communiter sese obtulerunt, praecipua dumtaxat adnotare satius erit, eorumdemque inter se discrimina recensere.

In omnibus et singulis morbus se reapse exeruerat certissimis notis, no forte videlicet eum in locum cum magno vitae periculo traducerentur. Duobus ante aut tribus diebus quam morbus manifestum se redderet, infelicissimi illi male se habere, et ignoto quodam et insolito rerum omnium fastidio teneri. Leves identidem horripilationes alternis aestuationibus exceptae ab occipite per vertebralem columnam descendebant, atque inde per totum corpus diffundebantur, ex quibus licet exiguis signis ingens metus animique dejectio consequebantur extemplo graviora symptomata, et

nigrantes interdum quasi toto corpore maculae explodebantur. Jacebant infractis viribus, et nullam aut minimam suimetipsorum curam agere videbantur, aut etiam continuis lamentationibus ac querelis pectora effodiebant. Saepe responsa sciscitantibus dabant incerta, et longis ambagibus ac futilibus verbis quantum incommodi paterentur, exprimere conabantur. Creberrima brachiorum mutatio, tendinumque iterati leviores que subsultus: lingua saepe haerebat tremula, albido infecta muco, asperata, inarescens, et prope margines rubicunda; vacua capita et simpliciter delirantia, ora atque oculi stupebant, cutis pallescebat, pulsus vero frequens et depressus, et in quibusdam etiam concitatus et vehemens: his autem omnibus accedebat et ventris protensio, et sublimis anhelitus, et aliquando etiam maculae petechiales, aut aolae aut etiam cum miliaria conjunctae ac sociatae. Processu morbus exasperari ac desaevire validius, prorsus ut nausea et vomitus consequeretur. Praeterea et magnopere exagitabantur, licet stupore jam opprimi et hebetatis prope sensibus viderentur; aegre admodum deglutire, pectora tussi frangebantur catarrhali, aut sicca, hypochondria majore dolore cruciabantur ad quemvis appulsum, aut omni sensu destituta languebant; meteorismus insuper, atipticitas aut diarrhoea, urina pallida, et deinceps turbida ac faecata cum graveolenti odore, erubescere lingua, vibrari, nigrore quodam obduci, arescere, hiulcari, fatiscere, adeo saepe etiam turgescere atque

baerere, ut vix extra dentium claustra posset emitti, qui certa quadam fuligine obtegebantur; semipatebat os, labra arida, aut hiulca contractis angulis irate subridere videbantur; acutae nares, oculique introjecti et obscuro quodam circulo lineati nonnunquam lippitudine et lacrimosis guttis obumbrati: errantia lumina, palpebrae semiapertae scleroticam tantummodo plumbeam aut languide flaventem conspiciendam dabant, et alicubi cornea obfuscata ac depressa apparebat, iris immobilis, ac dilatata pupilla ad quamvis vividam luminis admotionem. Aures vix sonitum qualemcumque excipiebant, perpetuis tinnitibus divexabantur, hebetique odoratu, et depravato admodum gustu utebantur, sitis aut insatiabilis, aut nulla, macies in ore totoque corpore, supini ut plurimum jacebant, enecti, omni robore destituti, stupore etiam, sopore, et longa vertigine laborabant, ac nonnulli etiam terrificis jactabantur insomniis, tacitaque deliratione inborrebant; quidam praeterea nil pbarmaca fastidire, quidam vero etiam grata et dulcia abhorrere visi sunt. Apparebant nigrescentes maculae aut toto corpore disseminabantur, miliariae quoque aliquid crystallinae ad pectus praecipue, et cordis scrobiculum sese conspiciendum oculis offerebat, interdum et penitus evanescebat. Pulsatio vero magis usque exigua erat, mollis, depressa, aut etiam adeo frequens, ut vix numerari ictus ejusdem possent. Processu temporis tussis omnino nulla, respiratio minus oppressa, minus etiam extensa, livebat cutis modo

frigido sudore ac foetido madefacta, aut in aliqua corporis parte, aut in universo corpore, arida modo et alicubi urente, alibi frigida et nihil omnino sensili ad extrema praecipue, cum et rubefieri nullo modo posset; carpologia, crebrae levesque convulsiones, et in nonnullis partibus, quibus fieret aegrotantis decubitus, etiam gangraena. Hic autem loci silere non possum de quodam adolescente quatuordecim annos nato, qui cum singula haec phaenomena expertus esset et jam ab ipso morbi exordio neglectus fuisset a suis, prope jam contabuerat ac flaccuerat: gangraenae ex decubitu paene innumerae calcaneos, genua, cubitos, ilion cristas, trochanteres, os sacrum invaserant: quo quidem in loco gangraenae ad summum perducta pernicies, nam os illud etiam a coccyge divulsum fuerat, et jam efferenda acheletri forma totus videbatur. Qui tamen (adeo nempe adversus morborum tala validum invictumque est robur florentis aetatis) post longum temporis spatium aliquando plane convaluit, at quasi pristinae sanitati restitutus perdiu admirationi omnium fuit, atque adeo miraculo.

Atque haec nimium generalis quaedam tabula est symptomatum formidolosorum, quae per ea tempora obtinuerunt. Neque vero fortasse quis putet in omnibus et singulis tot haec simul symptomata contigisse, aut perpetuo sine ullo discrimine constitisse. Etiam nonnunquam subito prorumpebant, et extrema metuentes summa artis cogebat remedia adhibere, nonnumquam vero ex

insperato evanescebant, et fausta ominari hortabantur; alias insuperabili pertinacia ita haerebant ibidem, ut nulla arte flecti, aut dimoveri gradu possent: alias partim recedebant, partim vero per totum convalescentiae spatium perdurabant, illa praecipue quae graviter laesum cerebrale systema admonent, cujusmodi sunt aurium tinnitus, surditas, stupor oculorum, artuum vacillatio. Saepe etiam fera vis lethi conceptas spes omnes derepente abscidit, et luctu nos mersit acerbo. Dissectis cadaveribus miserorum ulterius edoceri nefas fuit, quod nimirum id vetitum legibus esset, graviterque cautum, ut quam primum cadavera efferrentur. Jam cum ita varie ac diverse se morbi ratio haberet, sane haud licuit prudenti medico ex aegrotantium symptomatibus judicia facere, immo vero sapienti consilio singula pensitabat, neque, nisi cum certa sibi judicia suppeterent, de futuro exitu pronunciabat. Quod non sine aliqua utilitate factum in morbi diagnosi qua curativa methodus praescripta erat: nam morbi indolea plane eadem in singulis et universis, neque alia porro discrimina admittebat, nisi quae a temperamento, ab aetate, et ab ipso morbi gradu fortasse existerent.

Inter eos, qui hujuscemodi malo graviter laborarunt observatione dignus videtur parens ejus adolescentis, quem superius nominavi, qui quinquagesimum agens annum in tantam hanc incidit morbi perniciem, qua ferociter invalescente cum ad publicum jam memoratum hospitium transla-

tus esset, per triginta plane dies adeo cum morbo pugnavit, ut de ejus vita tamdiu fuerit pertimescendum. Neque vero minus sollicitos tenuit et lecto proximus eidem qui erat, licet cum septimum vix lustrum aetatis attigisset in ipso naturae quasi robore versaretur; sed minime silendum quod videlicet maxima gracilitate corporis laborabat, aspectu deformis. Haerentes trepidosque etiam diu tenuit adolescentulus tresdecim annos vix natus, qui paene consumptus, cum jam vix haererent ossibus ossa, vix tactae resilirent arteriae, et viribus omnino projectis trunco prope simillimus videretur, aliquando ex perpetuis queis aegrorum ceterorum pectora effodiebat, gemitibus destitit, clausoque jam hospitio ad publicum civitatis nosocomium cum jam convalescere coepisset, translatus, pristinam ibi demum sanitatem recuperavit. Sed morbi ferocitate post sex aut septem dies oppressi atque erepti fuere acelenses accolae duo, quorum alter vicesimum, alter vero quadragesimum quintum jam annum attigerat. Symptomata in his duobus plane gravia et atrocia; aetate nam ille florentior perpetuo jacuit funibus vinculisque constrictus, quandoquidem perenni deliratione, oculis scintillantibus et inflammatis, et facie rubra certissima meningitis indicis praeseferebat. Item et quidam supremum diem obiit annorum octo supra triginta, decimo octavo, ex quo in morbum inciderat, die, cum aliqua spes affulsisset recuperandae salutis. Gravissima quoque phaenomena perpessus est alius decimum

tertium annum agens adolescentulus, qui sane dulcissimum cepit docilis ingenii sui fructum; nam medicis poculis alacriter sumptis trigesimo sexto tandem, ex quo laborare febri teterrima coeperat, die, maternis iterum osculis, et puerilibus lusibus sanus atque festivus potuit frui. Ex feminarum aegrotantium numero duae mihi potissimum recensendae extremo fato confectae, quarum prior triginta novem annos jam nata, cum plures diea ae melius haberet, ita ut jam a lectulo surgeret, ex inopinato, quod mirum foret omnibus, vita cessit. Altera vero, quae quartum nec dum lustrum aetatis attigerat, numquam tamen, neque inani spe parentum elusit vota. Notatu dignissima sunt feminae cujusdam phaenomena quadragesimum annum natae, quae peticulari infecta morbo vix ulla ope purgari poterat tanta foeditate spectaculi, et nihilo tamen minus triginta quinque diebus elapsis plane convaluit. Neque mihi fere dicendum de viribus aegrotantibus reliquis, ex quibus seni numero brevi temporis spatio leviter admodum afflicti sunt; quemadmodum femellae contigit vix annum agenti secundum supra vicesimum, et ancillaribus officiis assuetae, quam nervosa symptomata mitiora quidem non sine petechialibus maculis et miliaribus celeriter invasere. Morbi vim summam, sive apicem, citissime experta, citissime etiam cum omnium admiratione ita plane convalescere et confirmari visa est, ut nisi praescripta obstitissent, tuto emitti posset herisque restitui. Nihil mihi addendum arbitror de convalescentibus qui ad hoc

hospitium traducti fuerunt, ut temporis praescriptis legibus satisfacerent. Sed ut opus pro viribus urgeam, nihil sane mirum videri cuiquam satis intelligenti ac perito debet, si longe difficilis atque ardua tam miserae contagionis curatio fuerit. Cum enim tot simul phaenomena formidolosissima occurrerent, tantoque impetu et tot malignis fraudibus trepidos adorirentur, et qua varia pro tempore in uno eodemque viro, modo pectori, imo modo ventri, modo capiti, et singulis ac universis hisce modo partibus maximam vim inferre putarentur, qua autem suspensa et incerta typi intermittentis indolem exhiberent, vix patebat quid consilii capiendum. Sana videbatur omnino antiphlogistica methodus adhibenda; sed viribus humi prostratis, et torpido vitae sensu, pulsibus praeterea vix se se vibrantibus, recedendum ab ipsa, quippe quod nimirum, et pectus, et tubus gastroentericus, et imi ventris glandulae prohibebant. Atque ita etiam ut plurimum se aeger habebat, ut purgativum nullum pati remedium posset, saepe etiam grata et sapida abhorreret. Ecqua igitur tutior et utilior methodi ratio existimanda? Placuit symptomaticae curationis methodo adhaerere, utpote quae omnium efficacissima videretur ad illiusmodi pathologicum processum inhibendum, ex quo tam formidolosa phaenomena existerent, quin tamen nulla babenda ratio putaretur, tum aetatis, tum indolis, tum et habitus corporis, ac discriminum ceterorum. Plurimum semper consilii ac solertiae adhibitum fuit, ut tubi

gastro-enterici, jecoris, pectorisque affectiones summoverentur, et tum sympathiae, tum idiopathiae nervosae imminuerentur. Sed et perpetuo animadvertisse profuit decuitque, quo quisque aegrotorum corporis robore, qua peculiari praeditus naturae constitutione forte esset. Adhibebatur itaque tamarindus, sulphas magnesiae, rhabarbarum, aqua laxativa dispensatorii vindobonensis, cremor tartari, nitrum, tum nulla alia admixtione, tum etiam una cum amarioribus herbis, cujusmodi sunt valeriana, arnica, cortex peruvianus, serpentaria, guajacum, gentiana, centaurea minor, quarum ut potio minus injucunda efficeretur, cum mali citrini aqua, aut ejusdem cortice temperabatur. Crebrius aegrotis ad bibendum dabantur emulsiones amygdali amarae, aut gummae arabicae, et attenuatae citri medici potiones iterabantur. Ad sudorem vero ciendum, et ad impetus pectoris minuendos uti potissimum medico placuit chermete minerali, spiritu mindereris, camomillae demum floribus, et extracto hyoscyami. Si vero et verminosa symptomata sese efferebant, tum subito adhibebatur santonicum, coralina, et oleum ricini. Nonnumquam et hirudines applicare placuit, tum praecipue cum pressura capitis ad cetera accederet; nunquam vero sanguinis missione utendum esse visum est, neque aub ipsa morbi principia, propterea quod jam tum totum penitus nervosum systema morbus invaserat. Sed et sanguinis missionibus profici posse nostri homines censuerunt, quoties a primis incommodo-

rum se se exerentium primordiis adesse suis civibus quam citissime potuerunt. Siquidem promptae quidem missionis praesentissimo auxilio complures integrae statim valetudini sunt redonati, et longi fortasse ac periculosioris morbi incommodo erepti propriam sibimetipsis fortunam gratulabantur. Clysteriorum ex assa foetida usus frequentissimus, sed et aliquando emeticarum frictionum, neque magisterii ex bismuto oblita est efficacitas ad maximam ventriculi sensibilitatem minuendam. Ac si quando ex mali ineluctabili pervicacia aegrotorum aliquis in summo vitae discrimine positus videretur, idque argui posset qua ex profundo sopore, qua ex pallentis cuticulae gelu ad extremitates marmoreae, qua demum ex pulsu ac respiratione suppressis, aliquid subsidii petendum censebatur ex sinapismis et vesicatoriis, raro ex camphorae usu. Adhibitum etiam non sine aliqua proficientia chinini sulphatum hyoscyamique extractu, quoties de intermissione minime dubitandum.

Hisce nimirum aliisque similibus pharmacis oppugnata vis morbi, praeterquamquod etiam diligentissime cautum est, ut diaetae ratio maxima haberetur, et aulae amplitudo idoneis suffimentis prope hilarata mitesceret, et permutati saepe aeris salubritate gauderet. Nondum vero valetudine confirmata in usum praecipue venerant decocta cum chinae, arnicae, valerianae et tamarindi infusionibus. Praeterea nondum a morbo recreatos quam diligentissimis legibus communire ac regere

studuerunt, inde maxime, quod sane proximi periculo aegroti erant ne ex levi quacumque ex causa in morbum reciderent, et cum summa pernicie. Processu vero temporis licebat uti et modico cibo, neque varo prorsus abstinendum putabatur a vino, unde et reficerentur vires, et corroborata sanitas quodammodo resiliret.

Istbaec curandi methodus feliciter cessit; nam neque diu fera vis morbi desaeviit, neque multorum dolenda jactura fuit, ac sane perbrevi tempora ea tanta pernicies exulare extinguique visa est, quae usque adeo compleverat terrore animos, et pessima quaeque formidare coegerat. Fatendum tamen et eximiam virorum in civitato principum providentiam, tum et divinitus redonatam puriors aeris serenitatem ad id plurimum contulisse.

Hactenus de morbi indole, et curandi praecipua methodo: nunc de ejusdem diathesi. Porro nemini mirum esse arbitror, si, cum de eadem ipsa sermo instituitur, medicorum sapientia incertis distrahatur sententiis, neque sibi plane judicia constent. Neque vero ego is sum, qui hac aetate, hoc ingenio tantum mihi arrogem, ut velim quasi pro tribunali litem resolvere. Dicam libere quod sentio, et quae maxime ab illustribus harum rerum auctoribus accurate delegi, ea brevi complectar. Jam si potissimae, unde hic morbus existere visus est, causae expenduntur, profecto intelligimus nihil ab illis diferre, unde et alia morborum diversa inter se genera existunt, eaque in-

dolis inflammatoriae ad hunc fere modum videmus sub vernum tempus, ex alternis ventorum spiramentis persaepe exeri pleurites et angioites; aestivis vero solibus, praesertim si canicula deferveat, et humida sit caeli temperies, passim offendi animadvertimus cum splenitibus et hepatitibus febres intermittentes, saepe etiam gastro-enterites; quod ipse etiam inter nostros non raro accidere jamdiu notavi. Porro non adhuc plane constat qua potissimum ratione aeris immutatio tantum efficientiae habeat ad humanorum corporum status perturbandos, utrum videlicet naturali vitae robore prosternendo, an vero ea puncta irritando quae contactu percellit, cui quidem postremae sententiae multis experimentis et illustrium virorum auctoritate firmatae cum plerique adhaereant medicorum, sane decet arbitrari ac tradere aeris sese immutantis efficientiam neutiquam ad deprimendum exerceri. Ex alimentorum pravitate difficilior evadit eorum in ventriculo concoctio, unde cruditates irritationesque intestinorum, et gastrites. Ac si etiam fortasse quispiam secum ipse statuat ex aeris ventorumque mutatione, tum ex alimentorum pravitate ac defectu debilitari naturae humanae vires, atque infringi, non ideo tamen statim arguendum arbitror etiam hoc in casu hyposthenico morbo viam patefactam ac communitam fuisse. Etenim aliae etiam complurea causae accesserunt sine ullo dubio inflammantis naturae, quemadmodum crapulandi, graecandi lubido, laborum exantlatio, nulla

aeris declinandi cura, nulla nimii sudoris vitandi, ex quibus profecto saepenumero inflammationes offenduntur. Et re quidem vera semper fieri videmus, ut quicumque ex quacumque causa viribus afflictis languescat, idem continuo adaucta sensilitate nervorum percellitur, stimulis quibuscumque levioribus excitatur, usque etiam, quibus antea vix commovebatur, aut cum quadam oblectatione, molestia quadam fastidioque afficitur. Itaque hypersthenica aliqua causa accedente etiam exigua, fere contingat necesse est, ut vis morbi aliqua jam laborantem adoriatur, indolis videlicet inflammatoriae, et quae prae ceteris delicatissimos nervorum contextus appetat atque instiget. Qui sane morbus cum sit sua quadam malignitate naturae summopere metuendus, profecto indicto palam duello minime lacessendus est, sed tamen planum est vel tironibus intelligere, stimulantibus nequaquam agendum praesidiis, caute insuper agendum ac perspecte, et antiphlogistica methodo pro tempore decertandum. Qua ratione utendum praecipue cum pupulis atque faminis, maxime si a partu recentes fluxu sanguinis affligentur, neque non cum ceteris qui gracili corpore et exquisita utantur nervorum indole ac structura.

Atque ego etiam ex timoris perpetuitate arbitror vim esse acuendam, cum videlicet vehementiores inde existere soleant cordis appulsus, sanguinis circulatio celerior ac vividior, lymphaticorum insuper promptior efficientia. Tum externis quibuslibet stimulis agitatur, percellitur, de levi

quocumque eventu ac perturbatione sollicitus, anxie omnia spectat, omnia trepide sciscitatur, easque etiam, quae nihil intersint sua, pensi habet, secum animo agitat, ac sibi omnino propria miserrime pertimescit, et sibi infeliciter quaeque cessura ominatur. Idcirco si quando aliquem improviso terrore deprehensum offendimus, experientia jam docti et auditione continuo aliquantulum meri eidem hibendum porrigimus, ut videlicet subita membrorum contractio tollatur, et ad usitatos cursus sanguis revocetur, cujus subinde missio haud negligi fere solet.

Nostram hanc sententiam symptomata quoque cetera plane confirmant. Et sane annon morbos acutos et chronicos etiam inflammatoriae indolis, aeque ac diatheseos virium vel maxime afflictio prostratioque consequitur? Quae nunquam neque a peripneumonia, neque a peritonite disjungitur, et quoties praeterea aliquis vehementioribus quibuscumque cruciatibus, aut meningite laborat, perpetuo se conspiciendam praebet, cujus tanta saepe vis est, ut motus organa plane infirmentur et quodammodo conticeacant. Quod si etiam hanc, de qua agimus, virium projectionem a cerebrali asthenie gigni putandum, profecto, nostra quod attinet, arguendum ac demonstrandum esset primitus illam exortam esse, neque priore aliqua impellente causa, cumque jam lucide a nobis probatum ac praestitutum fuerit, eam indicia quaedam et signa excitantia praecessisse ac persequuta esse, praeterea antiphlogisticis maxime oppu-

gnatam praesidiis fuisse, omnino patet, nihil inde argui posse adversus opinionem, quam attulimus.

Sed ut fidentius eidem adhaereamus, alia quoque nobis argumenta suppetunt neque exigui momenti. Nam primo qui fractis viribus forte jacent, supini jacere solent, quemadmodum videmus accidere, quoties inflammationes pleurarum tum peritonaei et meningis existunt. Praeterea ex linguae sordibus et ad oras suffuso rubore, tum ex ejusdem labrorumque arescentia sane deprehenditur continuitatem quoque harum in tubo intestinali membranarum haud secus se habere: quod animadvertisse contigit in angina gravissima, ac in gastrite manifesta, quae nisi per iteratas sanguinis missiones placari tollique possunt. Demum, ut brevi praecidam, annon ex praepropera festinatione, et citatis passibus sanguinis circulatio propellitur, quaedam plethorae species subito existit, siccantur fauces atque arescunt? Quod sane nemini, credo, asthenîae nomine donare fortasse placeat. Non sum nescius vasorum cuticulae debilitati petechialium macularum adscribi sorditiem. Verum enimvero cui satis perito probari id queat, cum jam noverit contextum hujusmodi, ubi forte contrectetur, se acrem exurentemque praebere, et una simul miliaris explodatur, de cujus sane diathesi sthenica nemo est qui dubitet? Asserendum porro esset cutem qua exstimulari, qua deprimi, quod plane patet, quam dictu absonum fuerit. Ac si natant enimvero lumina, plurimus adest in sensibus stupor cum summa item agitatione conjun-

ctua, et insomniorum terriculamentis saepe exturbatus, ex iis ipsis pervinci atque erui potest cerebralis congestio, et nimis auctum vitae jam robur, quo videlicet et solitae naturae leges, motusque rationes prohibeantur. Unde siquidem contigit, credo, ut qui Brownio maxime adhaerent, si post graves traumaticae ad corpus causas hujusmodi signa se prodant, sanguinis missiones adhibendas praedicent, acriterque contendant. Sed congestioni quoque surditas adscribenda, utpote quae nimirum repetenda videatur ex eo quod sensorium commune nullis tum pervium externis impulsibus sit, tympanumque praeterea ac labyrinthus nimia humorum coagmentatione praepediantur. Meteorismus autem manifestis plane signis prodit peritonitidem gastritis cum ansae intestinalis praeclusione conjunctam, ipsaeque pathologicae sectiones documento esse debent. Quid de adstricta alvo dicendum? Haec quidem, fateor, et languentibus viribus adscribi fas esset, ubi pars medullae spinalis inferior paralysi laboraret; quod profecto ad nos nihil pertinet, quibus itidem perspectum jam est qua levi irritatione, qua spasmo, tum et inflammatione extensa, tum ad extremum perduratis faecibus plerumque alvum adstringi; quemadmodum et relaxari probe scimus ex irritatione coactarum in ventriculo faecium aut earumdem perlevi inflammatione, qua perpetuo secretiones augentur, aut lege antagonismi, cutanea transpiratione imminuta. Quod ad timorem attinet, cum inde cerebrum laedi afficique constet, constat et-

iam intestinalem motum inde adaugeri, et resolvendis abunde faecibus vim adjungi. Neque vero ex alvi resolutae foetore asthenia coarguenda est, cum gravior nullus et molestior, quam eorum qui esculentis omnium aromatum genere medicatis utuntur, et optimi cujusque vini liquorumque delectu lasciviunt, unde nervos profecto debilitari et infringi neutiquam existimaverim. Jam vero neqne ex pulsu aut parvo, aut depresso sive etiam lento, sive concitato quidquam evinci posse arbitror ad id infirmandum, quod statuimus. Vasornm quidem arteriosorum et cordis actionem varie immutatam esse signa haec monent, sed tamen nobilissima illa hominis pars, cor, inquam, elanguescere potest ac deficere, cum plures et aliae magnopere exihant ac impellantur, quemadmodum in peritonaei ac encephali inflammationibus plerumque obtinet. Peripneumoniam autem saepissime pulsus sane mollis consequitur, quae quidem mollities post sanguinis missionem ita evanescit, ut pulsus invalescat plenior, vividiorque resiliat. Ex miti inflammatione excitantur arteriae, validiusque vibrantur, contra autem si graviore nobilissima vitae organa impetantur, eaedem deprimuntur quasique obfuscantur, congestioque ad pectus siva ad caput liberiorem cordis motum praepedit ac coercet. Quin neque a cute liventi et frigido madefacta sudore nostra quidquam opinio infirmatur, nedum convellitur. Nam morbos plerumque acutos magna cellularis textus subcutanei absumedo consequitur, ex qua pellis rigor

et strigositas; cui quidem rei maximo argumento sunt peritonitides, ac imi ventris in universum inflammationes, frigidus autem sudor cutem jam calefactam et acrem humectat, quae si etiam decoloretur ac frigescat, non ideo atatim projectae vires conclamandae, quandoquidem organorum internorum vis et efficientia vitali antagonismo validior persaepe evadat, et promanatio sudoris plane demonstret ac pervincat etiam ab eo contextu, qui sudore proluitur, vim sane aliquam exerceri.

Quod si nullo effici pacto potest, ut pellis purpurescat externorum antistimulantium ope, id oppresso nervoso sistemati tribui potest, itemque difficili actioni circulatoriae, quaa sane obscuris perficiatur rationibus necesse est in capillaribus vasis cutaneis, in quae globuli sanguinis purpurantea aegerrime influunt. Profecto gangraenam ex decubitu inflammatio perpetuo antecedit.

Jam neminem arbitror fore cui persuasum fortasse sit ex horum signorum serie debilitatae naturae effectus arguendos. Ecquis enim fieri posse credat, ut multiplices inter se virea non modo aesa contundant et invicem destruantur, sed omnino diveraam ac contrariam naturae conditionem, sive statum pariant?

Supervacanei vero operis existimaverim esse methodum quoque curationis ad examen revocare. Maxima pars pharmacorum, quibus ad hujusmodi contagionem inhibendam uti placuit nostris, inter purgantia, solventia, ac tandem diaphoretica sunt adnumeranda, ac plura eorum quae corrobo-

randi atque excitandi efficacitate donata passim putantur, recentioribus illustrium virorum experimentis doctrinisque jam constat plane antiphlogistica habenda esse. Praeterea multa etiam ex eorum numero de quibus adhuc sub judice lis est, cum aliquibus omnino deprimentibus miscebantur: immo vero fere nunquam aut peruvianus cortex, aut arnica, aut valeriana adhibita fuerunt, quin cum decocto tamarindi consociarentur, et nisi dilutae ex malo medico potiones et multo attenuatae ex amaris amygdalis emulsiones simul una porrigerentur, meri omnino usu interdicto.

Curnam vero, requiret fortasse quispiam, a missionibus sanguinis quoque abstinendum censuerunt? Sane phlogoses nullae recensentur, quae malignae aut spuriae nuncupantur, quas quidem tum multiplici et vario symptomatum discrimine, tum insigni eorumdem pertinacia, tum universarum prope virium prostratione vitaeque periculo, tum demum strigositate quadam sua planum est internoscere. Cum autem a veris haud magnopere differant, et in asthenico corpore ortum duxerint, irradiationem perpetuo sthenicam gignunt; ac sive quidem subobscurus processus phlogisticus ita nervosum systema occupet atque impetat, ut cordis insimul officia perturbet, ac proinde propius periculo censeatur ex sanguinis missionibus opem petere sive quod diathesis sit prorsus exigua, profecto illud videmus contingere, ut sanguinis missiones aegrotantibus noxiae neque omnino ferendae visae fuerint, ac satius esse in

hujusmodi morbis modum tempusque servare. Atque apud veteres quoque medicae artis professores id in more positum fuit, ut a sanguinis missione caverent, quod nimirum phlogoses spurias pro venosis habebant, veras autem pro arteriosis, ac propterea nonnisi vix explosa vi morbi venas expungi utiliter posse tradebant. Quemadmodum agi et nostris hominibus placuit aliquando cum aegrotantibus quibus contigit extra hospitii parietes morbo laborare, aut cum aliis etiam tum cum aliquo inflammationis genere extemplo conflictari atque angi coepissent. Non enim neque cum inflammationes proruperint loca quaedam peculiaria invadentes prudenti medico licebit venas audenter expungere: nam cum jampridem radices agere coeperint, et effrenate ferantur, universi passim corporis vires affligunt, unde profecto nefas antiphlogistica methodo acriter dimicare, et vitae quodammodo terminos sine ulla religione praetergredi. Methodo quoque calefaciente uti valde periculosum, etsi quidem cum macies corporis, tum et virium projectio id fortasse requirere videantur. Contigerit quidem aliquando, ut qua ex mero, qua ex aliqua extimulante mixtione nonnihil utilitatis perceptum putari fortasse possit. Neque vero ego recreari paulisper vires inde etiam inficior. Verum ecquis unquam sibi persuadeat tali pacto esse cum morbo pugnandum, et projectum robur reficiendum, si id ipsum inflammatis adhuc determinatis partibus referri debeat? Nimirum tum maxime probetur oportet

medicorum prudentia cui omnia saluberrimae artis expedienda subsidia quaecumque pro temporis aegrotantisque conditione magis accommodata atque optima videantur.

Intestino autem recto, cutique curandis adhibebantur maxime clysteres ex assa foetida, cujus efficientiam antiphlogisticam esse manifeste inde patet, quod ad lentas phlogoses minuendas sane adhiberi cum aliqua utilitate consueverint. Ac si forte etiam praepollere hanc ipsam quis putet efficientia potissimum atque adeo virtute putridorum dechnandorum, porro ipsa haec virtus inter deprimentium genera adnumerari debet, cum ejus praesidio inflammatoriae causae effectus infringatur. Cuti autem vesicantia, et sinapismi admovebantur, illa cum jam morbi pernicies invaluisset, hi autem cum prope ad exitum pervenissent. Ceterum in ea equidem sum sententia, ut putem inde quod vesicantia remotioribus ut ita dicam praesidiis rem agant, et determinatas tantummodo corporis partes per viginti quatuor, ut plurimum, horarum spatium irritent, eorumdam virtutem ad universa haudquaquam promanare adeoque diffundi. Quorum tamen ope cum et suppuratio fiat, et humoribus certe aliquid detrahatur, evacuantium seriem vesicantia augere putanda fortasse sunt. Atque ad hanc nostram sententiam firmandam praesto essent exempla nonnullorum qui post binas aut ternas sanguinis missiones, et vesicantium subinde admotionem sensim feliciter convaluerunt. Quoties autem aegroti af-

flictis omnino viribus et longo sopore mersi jacebant, vix salirent arteriae, cutisque obdurata frigesceret, neque ullo fere pacto rubore suffundi posset, sinapismi tum ad pedes, tum ad suras admovebantur, neque sine aliqua sane putaverim utilitate, quandoquidem cum aegroti ita se habent, manifeste pateat, ex stimulo qui organa vitae pernecessaria corripuerit, ac veluti constricta teneat, vitae prope efficacitatem et virtutem infringi ac prohiberi. Cujus summa fiat nimirum jactura necesse est, si, quod hactenus sensilitatis supersit, surripiatur, ac propterea quo major belli et periculi moles, illuc praepropere occurrendum, neque profecto subtrahendis, imminuendisque reliquis viribus quidquam profici posse arbitrabor, cum mihi haud liceat causam removere, quin vitae quod reliquum fuerit, miserrimo fato dicar projecisse ac delevisse. Atque idcirco si forte irritanti aliquo externo praesidio, etiam remote adhibito mihi fortasse fas fuerit vitae virtutem ad agendum iterum provocare, sane haud frustra res mihi cessisset, eaque symptomata removissem, ex quorum pervicacia ineluctabilique conflictu maxima necessario debeat existere ac suprema perniciei. Quae quidem sinapismorum efficacitas atque utilitas confirmanda nunc esset argumentis et factis, quorum sane mihi magna copia suppeteret, immo maxima ac splendidissima ex vestris illustribus, eximii Viri, doctrinae monumentis atque exemplis. Verum ne vestra fortasse abuti patientia videar, disputationi aliquando finem imponam,

illud quidem magna voce professus, me, si quid attuli vestris omnino auribus non indignum, id totum vestrae sapientiae, et humanitati acceptum referre.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Moderatus excitamenti gradus requiritur, ut organismi functiones rite perficiantur.

II.

Ventriculi vires a nervosi systematis conditione pendent.

III.

Inflammationis extrema residua stimulantium ope delentur.

IV.

Crebra aeris caelique mutatio in nervosis praecipue morbis utiliter cedit.